

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regula VI. Abstractum est forma concreti

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

per consequens, si in Regulâ nostrâ *inesse* hōc modō explicetur, sensus erit, *ut aliquid de aliquō prædicetur, requiritur, ut de eō prædicetur, quod ineptum.*

VI. *Ex. Nego, aliquid alicui convenire vel competere, esse formaliter idem, quod aliquid de aliquo prædicari.* Prædicari enim importat actum intellectus, quō termini inter se componuntur; at competit aliquid alicui præcisō omni actu intellectus: quemadmodum igni competit calefacere, præcisō omni actu intellectus, & nemine cogitante. Habet se igitur hoc, quod dico, *aliquid alicui convenire, sicut fundamentum, propter quod aliquid de aliquo prædicatur.*

VII. Sciendum autem, nos hæcenus semper locutos de eo, quod *verè prædicatur, sive ita, ut propositio vera sit.* Nam quodlibet potest de aliquo prædicari sive affirmari, sicut possum dicere, *corvum esse album, & nivem nigram, sed non potest quodlibet de quolibet prædicari ita, ut prædicatio vera sit.*

## REGULA VI.

*Abstractum est forma concreti.*

I. Dupliciter sumitur vocabulum forma: I. pro forma informante, ut constituit

PP

ali-

aliquod genus causarum. II. *pro ratione, per quam aliquid est & denominatur.*

II. Jam dico I. *Quoddam abstractum est concreti forma in primâ significatione, quoddam non est.* Prima pars patet de animâ & albedine: hæc enim sunt abstracta animati & albi, quod constituunt, ut formæ informantes id, quod animatum dicitur & album. Eadem ratio est coloris respectu calidi, justitiæ respectu justii, & cæterorum. Altera pars etiam manifesta est (1.) in visione, quæ visi, & calefactione, quæ calefacientis abstractum est; at nec visio visi, nec calefactio calefacientis forma informans est. Omnis enim forma informans est in re, quam informat: at visio est extra rem visam, & calefactio extra calefaciens. Idem dicendum de omnibus abstractis, respectu concretorum extrinsecè denominantium. (2.) In abstractis substantiarum completarum. Humanitas enim & animalitas non sunt formæ informantes hominis & animalis, quorum abstracta sunt, sed potiùs important totam eorum essentiam ex materiâ & formâ compositam. (3.) Materiâ est abstractum materiati, & tamen non est forma, quæ informat materiatum, sed potiùs id, quod à formâ informatur.

III. II. Dico: *Omne abstractum est concretum*

ei form  
nim ab  
denon  
aliquo  
ab hun  
tum di

I. Et  
cretum  
album  
id, per  
cô est.

II. S  
dô dici  
us est  
nemin  
tantum  
scendi  
est priu  
differa  
rem; qu  
fert, tu

III.  
esse resp  
ne: que  
tissimu  
sed int  
abstrac

*et forma, in secundâ significatione.* Omne enim abstractum est id, à quò concretum denominatur: quemadmodum à visione aliquid videri, à calefactione calefaciens, ab humanitate homo, à materia materialium dicitur.

## REGULA VII.

*Abstractum est prius concretò.*

I. Est enim abstractum id, per quod concretum formaliter est: ut, per albedinem, album, per humanitatem homo. At omne id, per quod aliquid formaliter est, prius eò est.

II. Sciendum autem, prius duplici modo dici: *re & ratione.* *Re* prius est, quod prius est citra operationem intellectus, sive nemine cogitante. *Ratione* autem, quod tantum ex imperfectò nostrò modo cognoscendi prius est. Nempe, quando aliquid est prius aliquò, ita ut ab eò secundum rem differat, tunc est etiam prius secundum rem; quando autem ab eò solâ ratione differt, tunc etiam ratione saltim prius est.

III. Dico autem, abstractum interdum esse *re ipsâ* prius concretò, interdum *ratione*: quod quidem ex *§. preced.* erit evidentissimum, si ostenderimus, non semper re, sed interdum ratione solùm à concretò abstractum distingui.